



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R. P. Ivlii Fatii S. J. Liber De Mortificatione Nostrarvm  
Passionvm, Prauorumque affectuum**

**Fazio, Giulio**

**Köln, 1604**

De Resignatione. XIII.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60991](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60991)

ceremur ad efficacius remedium tanto malo  
adhibendum.

## CAPVT XIII.

## De Resignatione.

**R**esignatio, id est, *Rei assignatio*, est  
actus quidam, quo homo homini alii  
quid ideirco assignat, vt disponat de  
eo absolutè siue cum conditione, prout  
inter se conuenerint. Resignatio verò, vt  
de ea spirituales Magistri loqui solent, ni-  
hil aliud est, quàm præstantissimus qui-  
dam actus nostri liberi arbitrij, quo De-  
seruus, longâ experienciâ, sanctorum-  
que exëplis consilijsq; edoctus de pericu-  
lo, cui se exponit vnusquisque, qui in vita  
spirituali se ipsum regere præsumit in re-  
bus suis proprijs, iudicium, sensumq; sui  
exuens seipsum, suaque omnia libere in  
manus Dei, eorumq; quos loco Dei in to-  
ris veneratur, resignat, vt de se disponat  
in omnibus, prout ipsi iudicauerint magis  
expedire tum ad gloriam & cultum De-  
tum ad proprium profectum. Eo plane  
modo, quo beatissima Virgo, Dei Mater,  
intellecta Dei voluntate à Archangelo  
modoque hanc volutat in exequedi; mouit  
se in manus Dei resignauit, dicens; *Ego  
ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.*  
Quo item B. Apostolus, à Domino voca-  
tus

L. 10. 1.

...us, seipsum resignavit, Domine, inquit, *Act. 9.*  
quid me vis facere? Et eo, quo B. Augustin<sup>9</sup>. *S. Aug.*  
quando eodem modo dispositus, Deum *soliloq.*  
alloquebatur: Da Domine quod iubes, & iu- *cap. 18.*  
be quod vis: Eo deniq; modo, quo Magnus  
Isidorus Alexandrinus, de quo refert B.  
Climachus, quod cum fuisset in seculo ex *Climac.*  
primoribus Alexandriae, ac Religio- *de obed.*  
nem ingressus in suo modo agendi nescio *grad. 4.*  
quam gravitatem & fastum secularem re-  
tineret; illiusq; Monasterij Abbas animad-  
verteret, eum necdum omnino seipsum  
aque affectus seculares exuisse; dixit illi  
quadam die: *Isidore. si reuera Christi iugum*  
*illere decreuisti, volo vt ante omnia te obe-*  
*dentia laboribus exerceas.* Quibus verbis in-  
tellexit Isidorus, si serio progredi, & in Dei  
seruitio profectu aliquo facere vellet; resi-  
gnatione sui omnimoda in manus prelati  
facienda esse; mox itaque respondit: *Sicut*  
*fabro ferrum subiectum est, ita ego, o pater,*  
*me ipsum obedientie expono.* Quasi diceret.  
Iam, o pater, me ipsum totum non se-  
cus ac ferrum fabri manibus, posthac ver-  
landum offero ac trado, vt tu ipse dispo-  
nas arbitratus, o, eamque mihi formam  
imprimas, quam iudicaueris impri-  
mendam, ad omnia, iuuante Deo, reperies  
se quam promptissimum: qui postea  
magna animi promptitudine Abbatis  
sui



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

sui mandatis obtemperans in omnibus; breui ad tantam peruenit perfectionem, vt cum paulò post ex hac vita migraret ad alteram; euidentia dederit signa, se in beatorum numerum esse à Deo ascriptum.

2 Cor. 8.

Hinc meritò S. Paulus eos laudat, Qui, vt ipse ait, Semeipfos dederunt primùm Dominis, deinde nobis per voluntatem Dei. Et B. Climachus, Beatus. inquit, qui Voluntatem suam

Clim. de obed.

ad finem vsque mortificauit, sui que ipsius caram omnem atque diligentiam spiritali magistro permisit. Quemadmodum enim aliquis nauiculâ solus in mari magno, & vndique procellis agitato, nauigans, prudenter faceret, si nauiculam fluctuantem, & vicinam periculo submergendi treremica-

grad. 4.

su transcuntî alligaret, vt felici huius casu non solum præsens vitæ discrimen euerderet, sed ipsum quoque, quem petit portum, subiret; ita prudentissimè agit ille qui in hoc spiritalis vitæ mari procellis & tempestatibus obnoxio; voluntatem suam spiritali patri penitus resignare decreuit, eius ductu, quasi fune quodam, ab ipso dirigatur, multo que facilius, & minori periculo ad illum finem perducatur, quem sibi in diuino seruitio proposuit. Atque hoc est, quod Climachus significare voluit, cum loquens de Religiosis, qui se ad hunc modum resignant, ait, eos esse: Qui sarcinam

Climac. de obed. grad. 4.

suam

DE MORTIFICAT. 125

in alterius collo imponunt, & aliorum manibus  
subleuati, natantes mare hoc magnū trajiciunt,

Et certè, sicut inter maxima Dei flagel-  
la numeramus, hominem sibi ipsi relin-  
qui; ita inter maxima Dei beneficia repo-  
nenda est illa gratia, qua homo seipsum ex-  
uit, vt à Diuina Maiestate in suis Ministris  
gubernetur ac possideatur: quibus, cum se-  
mel animam suā liberè tradidit gubernan-  
dam, tanquam ijs, qui exactissimam de illa  
sunt reddituri Deo rationem; illis postea  
in reliquo fidat oportet. Etenim cui animas

in rebus gubernandas commissimus tanquā Deo, S. Bas. in

inquit S. Basilius, de ijs rationem reddituro, Reg. fus.

prosum absurdissimè facimus, si huic fidem in- disp. 48.

rebus contemptissimis abrogamus, Et, vt idem D. Basil.

alibi dicit, Curam suam cognoscere debet, qui Reg. bre.

huiusmodi est, vt ipse sua sponte constituere ali- 69.

quid ausus fuerit, cuiuscunq; generis illud fue-  
rit: neq; enim ipsa etiā, quæ suo genere bona sūt,  
ex proprio arbitrio geri conuenit. Et ratio est

manifesta Qui enim seipsum, inquit D. Basil. D. Basil.

lius, abnegauit, seseque voluntatibus omnibus Reg. fus.

spoliauit, is non quod vult faciet, sed quod do- disp. 41.

ceatur. Neque verò ratio permittit eum sibi ipsi,  
quod expediat, ligere, qui gubernationem sui

alij tradiderit.

Vnde meritò S. Bernardus, quosdam Re S. Bern.

ligiosos reprehendens, qui in hunc occur serm. 19.

terant errorem, Qui vestri, inquit, curam sup. cant.

semel.

semel nobis credidistis, quid rursus de vobis vos intromittitis? Neque video profecto, cum Religiosus, postquam se Deo, suisque superioribus integrè resignavit, denuò se velit suisque rerumque suarum dispositioni immiscere, manifesto indicio exiguae suae et ga Deum fiducia, vel potius argumento iudicij temerarij, quo Prælatum, ut minus idoneum, parumque de rebus suis sollicitum, condemnat. Quam cogitationem ut planè iniquam condemnans B. Climachus, ita cum Religiosis loquitur: Cum tibi cogitatio suggererit, ut Prælatum tuum aut diiudices, aut damnes, ab ea non secum quam à fornicatione resili; neque prorsus huic serpenti requiem præstes, non locum, non ingressum, non initium. Loquere ad huiusmodi Draconem, ut que his verbis laceesse, & malignissime seductor, non ego duces meum diiudicandum suscipies, sed ille me: non ego illius, sed ille mei iudex est.

*Climac. de  
obed.  
grad. 4.*

Neque hoc valde difficile erit ei, qui Christum Dominum, cui obedit, quemque reueretur, in Prælato suo assueverit intueri: hæc enim cogitatio tantum in mentibus ipsorum quoque Ethnicorum effecit, ut honorè & obedientiam cuiusdam detulerint, quem alioqui & hac & illa indignè reputabant. Narrat Herodotus, author celeberrimus, exemplum ad hanc rem explicandam valde opportunum, de Rege quodam

*Herodo.  
l. 2. hist.*

DE MORTIFICAT. 127

in Aegypti Amasis nomine . quem  
 nec initia contemnebant Aegyptij, nec  
 eius momenti ducebant, ut quod plebe-  
 us fuisset, nec insigni familia ortus : Sed  
 Amasis ad se solertia, non asperitate,  
 perduxit. Erant ei cum alia bona infinita,  
 tum verò peluis aurea, in qua tam ipse,  
 quam omnes cõuiuæ semper pedes ablue-  
 rent. hanc ille cõfregit, ex eaque Idoli sta-  
 tuam fecit, & in appositiſſimo vrbis loco  
 statuit . Aegyptij simulacrum adeuntes,  
 magnoperè venerabantur . Id Amasis fie-  
 ri a popularibus edoctus, conuocatis AE-  
 gyptijs aperit, ex illa pelui, in quã primò  
 Aegyptij euomere, & in qua pedes ablue-  
 re consueſſent, factum eſſe simulacrum,  
 quod tunc tantoperè venerarentur. Itaque  
 le aiebat perindè atque peluim eſſe factũ:  
 qui ſi antehac fuisset plebeius, in præſen-  
 tiarum tamen eſſet rex, eoque iubere, ut  
 ſibi honor haberetur atque reuerentia.  
 Hunc in modũ ad ſe traduxit Aegyptios,  
 na ut æquum cenſerent, ei ſeruire. Hæc  
 Herodotus.

Quod ſi vnus hominis barbari ratio  
 populis, moribus & ritu infidelibus, allata  
 euentu tam feliciter accepta eſt: quid apud  
 Chriſtianos & Religioſos efficere debet,  
 qui intelligunt & credũt id, quod Chriſtus  
 Dominus ad hoc propositum ſignificauit.  
 F 4

**Luc 10.** voluit, cum dixit; *Qui vos audit, me audit, &*

**Rom. 3.** *qui vos spernit, me spernit?* quodq; Aposto-  
lus Paulus, cum ait: *Non est potestas nisi a*  
*Deo, & qui potestati resistit, Dei ordinati*  
*resistit,* certum est, hanc unice ratione in illo  
Religioso plus fecisse, quam aliam quacumq;  
cumq; qui, ut narrat B. Climachus in Mo-  
nasterio quodam Alexandrie Monachis quibus  
plurimis in culina ministrabat solus, coqui  
officium gerens, atque in hac administra-  
tione officij tanti laboris tantarumque di-  
stractionum, tantam semper retinebat pa-  
cem & deuotionem, quasi perpetuo vaca-  
rat orationi, cuius rei causam rogatus a

**B. Clim.** Climacho, inter alia respondit: *Numquam*  
**de obed.** *me hominibus seruire arbitratus sum, sed*  
**grad. 4.** *Deo.* Hac ipsa ratione persuasus quidam  
sanctus Monachus, Laurentius dictus, an-  
nos habens octuaginta, in Religione verbi  
quadraginta octo, qui publicum quod-  
dam & arduum opus a suo Abbate sibi im-  
positum executus est: qui postea a B. Cli-  
macho tunc presente interrogatus, an rati-  
dum id exsequeretur, aliquam sensisset  
contra Abbatem cogitationem sinistra  
respondit, se non solum nihil huiusmo-  
di sensisse, sed potius respondendo sibi  
in persona sui Prælati, Christi imaginem,  
sibi penitus persuasisse, hoc præceptum non  
a terreno aliquo homine, sed ab ipso Deo  
fuisse

uisse profectum. Quo responso non solum tunc Climacho satisfactum abunde est, sed & nos apertissime intelligimus, quantam habeat efficaciam consideratio personæ Christi in nostris superioribus, quæ sola sufficeret ad remouendam ex animis nostris omnem cogitationem alienam ab illa obedientia & veneratione, quæ illis debemus.

Neque vilo modo negandum est, quin Deus singularē omniū habeat protectionem & curam eorū, qui tanto amoris affectu, tantaque reuerētia seipso in superiorum manus resignant. Si enim Deus tantam suscepit protectionem & custodiam Iacob Patriarchæ, vt integrum Angelorum exercitum in illius miseritutelā, vt ipse quodam cordis iubilo diceret: *Castra Dei sunt hæc*; eò quòd reliquisset domum socii sui Laban: quid faciet seruo suo, qui non solum parentes aut alias quasdā res externas, sed seipsum quoque Dei amore, reliquit, & se purè ab eo per Ministros suos dirigi & gubernari permittit? Hoc videtur Propheta David in seipso non sine interiectione quodā gaudio sensisse, cum vanam peccatorū fiduciam damnans diceret: *Ego autem mendicus sum & pauper, Dominus sollicitus est mei; adiutor meus & protector meus tu es, Deus meus.* Quasi diceret,

postquam ego in conspectu Dei me ipsum humiliavi, omnibusq; mūdānis me pīuā ui subsidijs amore Dei, ipse mei suscepit curā, de me cogitat, meque singulari quadam sollicitudine defendit. Quæ verba eo magis Dei seruus vsurpare potest, quo magis se, non solū Dei amore, omni exteriorū rerū dominio sancta hac resignatione abdicauit, sed & seipsum quoque, ita, ut iam in seipso nullū aliud velit agnoscere dominiū, quā quod à suis superioribus conformiter diuinæ voluntati sibi exequendum cognouerit. Quare merito poterit de singulari hac Dei in se protectione gloriari, & ingenti animi voluptate sæpè prædicta Dauidis verba vsurpare: *Ego autem mendicus sum & pauper, Dominus sollicitus est mei, adiutor meus & protector meus in eo Deus meus.*

## CAPVT XIV.

## De Indifferentia.

**Q**uamuis homo, facta in superiorum manus sui ipsi resignatione, eo modo, quo supra dictū, nequaquā ad libitū valeat de se suisq; rebus disponere, sed iā obligatus sit ab eorū voluntate dependere: fieri tamen potest, & sæpè, que nostra miseria est, fit, ut prædicta resignatione non obstante, peculiari aliquo affectu detentus, magis se sentiat propendere & trahi.